ARCHANGELI MERCENNARII A MONTE SANCTO IN PATAVINO GYMNASIO PHILOSOPHIAM PVBLICE PROFITENTIS,

IVDICIVM SVPER RATIONIBVS ARISTOTELIS primo de partibus animalium capite primo.

Bib. Sec. Coll. Rom. Soc. J.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATAVII.
Apud Simonem Galignanum de Karera
M D L X X.

MAGNIFICIS AC CLARISSIMIS D. BAPTISTAE, ATQVE ANDREAE ERRICIIS FRATRIBVS, PATRICIIS VENETIS.

ARCHANGELVS MERCENNARIVS A Monte Sancto. S. P. D.

OPTARVNT ſuperioribus diebus optimi nonnulli iuuenes, ac philoſophiæ maximè ſtudioſi, mei etiam auditores, vt quid de rationibus illis, quæ ab Ariſtotele ponuntur primo de partibus animalium capite primo ſentirem, apertè explanarem, Quibus libentiſſime equidem ut par, atque conueniens fuit, obſecutus ſum: ac Ariſtotelis dictorum tanquam interpretationem quandam etiam conſcripſi, At rogarunt me poſteà ijdem illi, ſummaq; vi contenderunt, vt meam hanc interpretationem in gratiam eorum qui neque meam uocem audierunt, neque quicquam, quia tunc aberant, excipere potuere, foras omninò darem, ſibiq;, & ſuis amicis hac quoque ra-

tione morem gererem. Durum id quidem uidebatur, multaq́ mihi ueniebant in mentem, illudq; in primis, quod aliud ſine ulla dubitatione exiſtit, cum amicis aliquid familiariter communicare, ſuique animi ſenſa, propoſita aliqua difficultate, per ocium & quietem aperire, aliud autem illud conſcribere, quod in permultorum manus ſit uenturum, & quorumcunq; ſit etiam iudicium ſubiturum. Vicit tandem aliquando ea, qua ſumma auditores meos proſequor beneuolentia, & licet mihi plus oneris imponi uiderem, quam humeri mei ferre poſſent, uolui tamen uel cum aliquo periculo eò progredi, vnde non tutus forſan mihi dabitur regreſſus, Atqui nobiliſsimis permultis adoleſcentibus, mihi chlarisſimis, demeque optimè meritis, æquisſima potentibus potuiſſem unquam recuſare? quòd ſi aliqua ſaltem ex parte in quibus ſtudioſorum iuuenum cauſa elaboraui, à me ſatisfatum eſſe putabo, ad maiora certè animum adiiciam, ſin quod cupio, minimè aſſequi poſſum, illud certè non omnino contemnendum erit, quòd peritiæ meæ tenuitate illorum eruditio qui eaſdem Ariſtotelis rationes pertractarunt, clarior apparebit. Hæc uerò cui donanda, ac ſub cuius tutela

& nomine emittenda eſſent, dubitaſſem forſan, ni uos ſtatim BAPTISTA, atq; ANDREAS optimi, nobiliſſimiq́; viri ante oculos habuiſſem vos namq́; ij eſtis, qui me ab initio, cum ſtudiorum cauſa, in hac ueni loca, ſumma cum benegnitate complexi eſtis, ſemperq́; poſteà chariſſimũ habuiſtis, qua propter nihil eſt quod uobis non debeam, ueſtri igitur ſint primi hi mei ingenij fœtus quos eo animo, eoque uultu uos excepturos pro certo habeo, quo me ſemper excipere ſoletis, darem maiora ſi poſſem, at dabuntur cum dabitur occaſio, vos uerò intereà hæc habetote, meq; ut iam pridem facitis, amate.

Dat: Pat: idib: April: 1570.

ARCANGELI MERCENNARII A MONTE Sancto in Patauino Gymnaſio Philoſophiam publicè profitentis, Iudicium ſuper rationibus Ariſtotelis primo de partibus Animalium capite primo.

DEcreuerat Ariſtoteles poſt rudem illam, & confuſam animalium doctrinam, quæ in libris de hiſtoria tradita fuit. perfectè, ac diſtinctè ipſorum naturam, ac ſubſtantiam contemplari, uerum quia ipſorum ſubſtantia ex duabus partibus nimirum ex materia, & forma conſtituitur, de duabus hiſce naturis ſe uerba facturum neceſſarium diiudicauit, & magis de forma. cum ad rei notitiam magis facere uideatur, & naturali Philoſopho ſit magis conueniens, cum ipſa Naturæ nomine dignior quàm ipſa materia habeatur, quoniam uerò animalium forma Anima eſt, cum recedente à corpore Anima, animal eſſe deſinat neq; membrum ullum niſi ratione ſuæ figuræ idem relinquatur ea propter de Anima diſputare propoſuit, cum autem naturali ob perfectam animalium doctrinam Animæ cognitionem neceſſariam eſſe oſtendiſſet, dubitauit Ariſt. vtrum pertineat ad naturalem philoſophum de omni Anima diſputare, aut de quadam, quæ ſanè dubitatio, prius quàm Ariſtotelis rationes perpendamus, à nobis diligenter conſideranda eſt.

An .ſ. hæc dubitatio ab Ariſtotele mota, ſit de Anima ipſorum animalium tantum, hoc eſt, an ad naturalem attineat diſſerere de omni animalium Anima, aut de quadam, aut dubitatio ſit de Anima ſimpliciter, & in uniuerſum ex hoc enim manifeſtum fiet quid nomine intellectus, qui pro ſubiecto in rationibus iſtis accipitur, intelligere debeamus.

Arbitrati ſunt qui Alexandri doctrinam inſequntur, Ariſtotelis dubitationem non eſſe de Anima animalium tantum, quoniam de hac non dubitauit, an in uniuerſum à naturali conſiderari debeat ſed dubitationem eſſe de Anima ſimpliciter, an ſcilicet quemadmodum naturalis eam Animam contemplatur, quæ animalium eſt, ità etiam de Animabus illis ſeparatis diſputare queat, ac pro inde

Vide Mirand. lib 3? sect. 2. pag 588. ubi tractat hanc re et lib in sect 2ª pag. 251 et lib 21 sect 6ª pag 379.

indè uolunt intellectum quem paulò poſt philoſophus à naturali conſideratione ſeiungit, non capi pro intellectu humano, ſed pro ſubſtantiis ſeparatis, uel ut poſteriores dicunt pro intellectu in communi ad intellectum humanum, & ad ſubſtantias ſeparatas.

Quorum ſententia ab Ariſtotele omninò diſſentit, quod ex eo oſtendo, nam philoſophus dubitationem mouens, ſic inquit, ſed quæret quiſpiam animaduertens ad id quod modò dixi, utrum naturalis interſit de omni Anima diſputare, aut de quada, mouet igitur Ariſt. dubitationem propter id quod proximè dixit, proximè autem dixerat, ac poſuerat iſtam diſiunctiuam, Anima aut omnis, aut quædam nempè qua tale Animal eſt, à naturali cõſiderari debet, iam uerò hæc diſiunctiua eſt de Anima animalium tantum, non de anima ſimpliciter, igitur propoſita ab Ariſtotele dubitatio duntaxat eſt de Anima animalium, & non de Anima ſimpliciter, & enim cum philoſophus ex declaratis collegiſſet concluſionem iſtam, ſi hæc ità ſe habent Naturæ ſtudioſi ſanè intereſt de Anima diſſerere, & ſcire, aut omni, & ſi non de omni, tamen de ea ipſa qua tale animal eſt, quærere inquit, quiſpiam poſſet hanc diſiunctiuam animaduertens, utrum naturalis de omni Anima agere debeat, aut de quadam, itaque dubitatio iſta orta eſt ex illa diſiunctiua ſuperius poſita, cum autem illa duntaxat ſit de Anima animalium, igitur & propoſita quæſtio de hæc duntaxat Anima erit.

Quòd autem illa diſiunctiua ſolum ſit de Anima animalium, ex Ariſtotelis proceſſu facilè oſtendi poteſt, propoſuerat (vt dixi) Ariſt. exacte naturam, ac ſubſtantiam animalium contemplari, ſed quoniam duæ ſunt principales partes ex quibus animalium natura, atque ſubſtantia abſoluitur, materia, ſcilicet & forma, iccirco materiæ, & formæ notitiam naturali neceſſariam eſſe diiudicauit, cũ autem animalium forma anima ſit, ideò concluſit, Animam quę animalium forma eſt, à naturali philoſopho cognoſcendam eſſe, aut omnẽ, aut aliquam nempè qua tale animal eſt, ita quòd Ariſtotelis diſcurſus eſt iſte, forma animalium pro ipſorum notitia, à naturali philoſopho cognoſcenda eſt, Anima eſt forma animalium, igitur Anima, aut omnis, aut quædam qua tale animal eſt, à naturali cognoſcenda eſt.

Iam uerò Anima quæ accipitur in concluſione, ea eſt quæ accipitur in minori propoſitione, anima uerò quæ in minore propoſitione accipitur eſt forma animalium, igitur eadem eſt, quæ in ipſa concluſione deſumitur, igitur iſta diſiunctiua quæ in concluſione profertur, anima, aut oīs, aut quædam, à naturali conſideranda eſt, de anima eſt animalium tantum, & non de anima ſimpliciter, ut dicunt iſti.

Quod ſanè confirmo ex iis quæ inferius ſubiunxit Ariſt. nam uolens probare quòd anima animalium, à naturali cognoſci debeat, & magis quàm materia, tali utitur diſcurſu, philoſophus naturalis debet naturam cognoſcere, & magis, quod eſt magis natura, ſed Anima, inquit animalium aut omnis, aut quædam eſt Natura, & magis quàm materia, ergo anima animalium, aut omnis, aut quędam à naturali cognoſcenda eſt, & magis quàm materia, ſequitur poſteà dicens, ſed quiſpiam quæret, id quod modò dixi animaduertens nimirum hanc diſiunctiuam, utrum omnis anima, aut aliqua à naturali conſiderari debeat, refert igitur dubitationem ad id quod immediatè dixit, atqui immediatè poſuit illam rationem cuius propoſitiones ſunt de anima animalium tantum, igitur dubitatio mota, eſt de anima ipſorum animalium tantum, quòd ſi dubitatio eſſet de anima ſimpliciter, ut dicunt, tunc dubitatio non referreretur ad id quod immediatè dictum fuit, vt uult Ariſt. ſed ad id de quo eo in loco ne uerbum quidē factum eſt, quamobrem concludo, quòd propoſita dubitatio non eſt de Anima ſimpliciter, ſed de anima ipſorum animalium, & me herclè nemo eſt, niſi fuerit exiguo iudicio prædicus, qui cum hunc Ariſtotelis locum perlegerit, rem ità ſeſe habere apertiſſimè non cognoſcat, qua dubitatione ſic explicata, nunc Ariſtotelis rationes conſideremus.

Probat Ariſt. naturalem philoſophum non omnem animam contemplari, ut intellectum, & ratio huiuſmodi eſt, ſi naturalis ageret de intellectu, præter naturalem ſcientiam nulla relinqueretur philoſophia, probatur conſequentia, quoniam ſi naturalis conſideraret intellectum, conſideraret omnia intelligibilia, deducitur, quia relatiuorum, & omnium inter ſe coniunctorum eadem eſt ſcientia, intellectus & intelligibilia ſunt relatiua, igitur intellectus, & intelligibilium eadem eſt ſcientia, quare ſi natu-

ralis conſideraret intellectum, conſideraret omnia intelligibilia ergo nihil remaneret quod ab aliis ſcientiis conſideraretur, ergo præter naturalem ſcientiam nulla relinqueretur philoſophia, id eſt abſurdum, ergo & illud ex quo ſequitur, at ſequitur ex hoc quod dicitur naturalem, intellectum conſiderare, ergo id minimè dicendum eſt, & hæc eſt prima ratio.

Quam ſanè conſiderantes nonnulli ut Antonius Mirandulenus 18. libro ſuę Monomachiæ, & quidãalii, dixerunt rationem hanc nõ eſſe neceſſariam, nec ab Ariſtotele ut neceſſariam adductam eſſe, ſed ut probabilem, & apparentem ad hominum ingenia exercenda, quod plerunque Ariſtoteles facere ſolitus eſt, & quòd hoc uerum ſit, oſtendit Mirandul. & primo ſic.

pag. 327

Si Ariſtotelis ratio eſſet neceſſaria, ſequeretur intellectum à nulla ſcientia conſiderari, quòd falſum eſſe nemo eſt qui dubitet, probatur conſequentia, quia ſi aliqua ſcientia quecunque illa ſit, ut metaphiſica, conſideraret intellectum, igitur conſideraret omnia intelligibilia, igitur præter ipſam, aut aliam, ſi ponatur aliam ipſum conſiderare, nulla relinqueretur philoſophia hoc eſt falſum, ergo falſum erit aſſerere ipſum ab aliqua ſcientia conſiderari, igitur à nulla conſiderabitur, at cum id abſurdum ſit, ergo & id ex quo ſequitur, at ſequitur ex hoc quòd Ariſtotelis ratio ponitur neceſſaria, igitur dicendum eſt nullo modo neceſſariam ẽe.

Secundo, quòd ratio non ſit concludens, & neceſſaria ex eo oſtendit, quia cum philoſophus inquit, ſi naturalis conſideraret intellectum, ergo & omnia intelligibilia, cum ſint relatiua, ſolum concludit, ꝙ naturalis cõſideraret omnia ut intelligibilia ſunt, & quatenus referuntur ad intellectum, non tamen concludit, ꝙ nãlis conſideraret omnia intelligibilia ſimpliciter, & omnibus modis cum itaque infertur, ergo præter naturalem nulla relinqueretur philoſophia, negatur cõſequentia, quia remanebunt res aliis modis conſiderandę, & conſequenter aliæ ſcientiæ, quę non conſiderabunt res ipſas, ut intelligibiles ſunt, ſed quò ad propriam earũ naturam, undè ratio non concludit propoſitum, & propterea nõ eſt dicendum Ariſt. ea ut neceſſaria uſum fuiſſe.

Qua mirandulani ratione perſuaſi quidam ſectatores Alexandri dixerũt rationem hanc non innitl illo principio, Relatiua pertinent ad eandem ſcientiam, quoniam tunc ratio nullum habe-

ret momentum, quia nil aliud concluderet, niſi ꝙ nãlis conſidera ret omnia intelligibilia ut referuntur ad intellectum, non tamen ſimpliciter, & oĩbus modis, et ꝓpterea nõ ſequeretur, pter nãlem nullam remanere philoſophiam, quã inſtantiam plurimi faciunt, atq; perſolui deſiderant.

Sed Mirandulanus, & qui cum eo rationem hanc non ut neceſſariã & demonſtratiuam ab Ariſtotele adductã fuiſſe, affirmant, in maximo errore uerſantur, ꝙ ità oſtendo, cum philoſophus poſuiſſet concluſionem illam diſiunctiuam, dicens, Anima, aut omnis, aut quedam à naturali conſideranda eſt, huius occaſione mouit illam dubitationem, vt determinaret illam diſiunctiuam, & oſtenderet, ſecundum quam partem ueritatem haberet, quòd ex illis uerbis Ariſtotelis manifeſtum eſt, quæ ità ſe habent, ſed quiſpiam animaduertens id quod modo dixi, quæret quę nam pars iſtius ꝓpoſitionis eſt uera, utrum omnis, aut quedam, à naturali conſideranda eſt, eſt.n. iſta concluſio ad aliquam partẽ determinanda, perſoluens autem dubitationem philoſophus determinauit, ꝙ non omnis Anima à naturali conſideranda eſt, qđ hac ratione, & ſequentibus demonſtrauit, quòd ſi philoſophus dubitationẽ illam ſecundum ueritatem non perſoluit, nec rationes, ut neceſſarias, ſed ſolùm ut probabiles, & apparentes adduxit, igitur propoſitę dubitationi non ſatiſfecit, nec ſecundum quam partem illa diſiunctiua ueritatem habeat, determinauit, quod tamen apprimè neceſſariũ erat, & eo magis ꝙ ꝓpter hanc cauſam dubitationẽ illã ꝓpoſuit, & rõnes illas ob hanc quoq; cauſam adduxit.

Accedit, quòd id apud Ariſtotelem compertum eſt, quòd quotieſcunque ex intentione, & in proprio loco aliquam dubitationem proponit, eam ſecundum ueritatem determinat, & ad concluſionem probandam rationes ut neceſſarias, & concludentes adducit, ut cuiuis qui etiam in Ariſtotele mediocriter uerſatus ſit, ſatis apertum eſt, & enim cum 3. & 4. de phiſico auditu de infinito, loco, tempore, & uacuo, dubitationes proponit, an ſit, & quid ipſorum unum quodq; ſit, illas ſecundum ueritatem determinat & rationes ut neceſſarias, et demonſtratiuas adducit, ſimiliter cũ octauo phiſ. de motus æternitate dubitationem proponit, & primo de Cœlo de vnitate mundi, & omnibus aliis in locis, id ipſum facit, cum ergò Ariſt. hoc in loco ex intentione, & in ꝓprio loco, erat enim hic proprius locus hanc difficultatem examinan

di, cum hic à naturali de anima agendum eſſe, propoſuiſſet) hanc dubitationem proponat, & ipſam ſatis diffusè examinet, igitur dicendum eſt Ariſt. dubitationem hanc ſecundum ueritatem determinare, & rationes ut neceſſarias, & demonſtratiuas adducere, quòd ſi Ariſtoteles hoc in loco id non facit, dicant, obſecro, ubi hanc dubitationem perſoluit, vbi illam diſiunctiuam determinat, ubi rationes ut neceſſarias, & demonſtratiuas adducit?

Pręterea philoſophus ſexto libro primæ philoſophiæ contex. 2. eandem concluſionem eodem modo determinat, & eadem ratione qua primo de partibus poſtremo utitur loco, eandem confirmat, loco enim citato ſic inquit, manifeſtum eſt quòd naturalis philoſophi non intereſt de omni anima diſputare, ſed de quadam ratio autem inquit, ea eſt, quia naturalis philoſophus non conſiderat ea quæ ſe habent ut concauum, ſed ea quę ſe habent ut ſimum, differunt autem hæc, quoniam ſimum quidem unà acceptum eſt cum materia, concauum uerò abſque materia, diſcurſus eſt iſte. Naturalis non conſiderat id quod ſe habet ut concauum, hoc autem eſt, quod abſque materia eſt, igitur naturalis non conſiderat intellectum qui omninò abſtractus eſt à materia, eadem præcisè utitur ratione primo de part. poſtremo loco, dicens ad hæc, rem nullam abſtractam à materia conſiderat naturalis, igitur nec intellectum, quòd ſi ſexto metaf. eam concluſionem ſecundum ueritatem determinat, & ratione illa utitur, ut neceſſaria, ut re uera utitur, cum inibi inter ſcientias ipſas differentiā ponat, ergo & primo de part: eandē concluſionē ſecundū ueritatē determinat, & ratione illa utitur ut demoſtratiua, quòd ſi ea ut neceſſaria, & demonſtratiua uſus eſt, igitur & aliis prioribus, cum de omnibus idem iudicium ſit, ex iis ergo concludimus rationem hanc ut neceſſariam ab Ariſtotelem adductam fore, non autem ut probabilem, ut iſti ad pauca reſpicientes, enunciant.

Cæterum, ut intelligatur quo modo ratio hæc neceſſaria ſit, eſt aduertendum, quòd intellectus bif. conſiderari poteſt, uno modo ut intellectus, ſecundo modo ut Anima, differunt autem hæc ſi quidem intellectus primo modo eſt uis abſoluta, & non reſpicit corpus, at ſecundo modo reſpectum includit, & habitudinem ad corpus, tunc dicimus, quòd intellectus ut intellectus eſt, & qui ditatiuè non conſideratur à philoſopho naturali, & id probat hęc

Ariſtotelis ratio, quoniam ſi intellectus hoc modo à naturali con ſideraretur, nulla præter naturalem relinqueretur philoſophia ratio eſt, quia relatiua ad eandem pertinent ſcientiam, ſi igitur naturalis conſideraret intellectum, ergo & omnia intelligibilia, ſed quoniam relatiuorum in eadem ſcientia idem eſt conſiderandi modus quin immò non ſolum relatiuorum ſed omnium quæ in eadem ſcientia conſiderantur, ea propter ſi naturalis conſideraret intellectum ut intellectus eſt, & quiditatiuè, cum intellectus ut ſic abſtrahat à materia & ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, igitur naturalis conſideraret intellectum ut eſt abſtractus à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, ergo conſideraret omnia intelligibilia eodem modo, nimirum ut abſtracta ſunt à materia & ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, & ſi naturalis res hoc modo conſideraret, igitur res ipſas conſideraret ut ſunt abſtractę ſecundum rationem tantum, quia ſi de quo minus uidetur, &c. eſt, ergo & de quo magis, & cum naturalis proprio conſiderandi modo omnia conſideret ut in materia ſunt, igitur naturalis philoſophus conſideraret omnia ſecundum omnē modum conſiderandi, tribus enim modis ſcibilia conſiderari poſſunt, uel ut ſunt in materia, uel ut ſunt abſtracta à materia, & hoc dup. uel ut ſunt abſtracta à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, uel ut ſunt abſtracta ſecundum rationem tantum, iuxta quos tres modos Ariſtoteles ſexto meta. contex. 2. tres ſtatuit ſcientias, Naturalem, Mathematicam, & diuinam, vnde ſi naturalis omnia conſideraret iis tribus modis, conſideraret ipſa omnibus modis, igitur præter naturalem nulla relinqueretur philoſophia, quia nullus remaneret conſiderandi modus, quo res ſcientificè conſiderari poſſent, & in hoc ratio Ariſtotelis conſiſtit, & in hunc ſenſum neceſſaria eſt, atque demonſtratiua, quā ij Ariſtotelis dicta intimius non conſiderantes, minimè intellexerunt.

Verum tamen intellectus ut Anima, atque ut iunctus corpori à naturali conſideratur, quonia ut ſic, ſub modo conſiderandi philoſophi naturalis comprehenditur, cuius eſt rem ut in materia contemplari, ſed hæc non eſt propria, & quiditatiua eius conſideratio, quemadmodum ſubſtantiæ ſeparatæ ut animæ ſunt, & propriis iugatę orbibus à naturali conſiderantur, ſed hæc non eſt

propria, & quiditatiua earum conſideratio, nec in hunc ſenſum Ariſt. intellectum à naturali conſideratione ſeiungit, nec id probat Ariſtotelis ratio, ſed duntaxat quòd intellectus quiditatiuè à naturali conſiderari minimè poſsit, propter illud quod ſequitur inconueniens.

Sed hic dubitatio eſt, quoniam Ariſtotelis ratio probare quoque uidetur, quòd intellectus ut iunctus corpori, non conſideretur à naturali, ſi quidem intellectus ut corpori iunctus, omnium intelligibilium eſt, hoc enim principium tertio libro de Anima contex. 4. accepit Ariſtoteles ad declarandam naturã intellectus poſſibilis, dicens, intellectus omnia intelligit, certum eſt autemq; ibi ſummitur intellectus, ut corpori cõiunctus, igitur ſi naturalis conſideraret intellectum ut corpori coniunctus eſt, conſideraret & oĩa intelligibilia, ergò præter naturalem nulla relinqueretur philoſophia, ergò ſiue hoc, ſiue illo modo ſummatur intellectus per hanc rationem à naturali conſideratione reiicitur.

Porrò ſubtilis dubitatio eſt, non tamen noſtram demolitur ſententiam, concedimus enim quòd intellectus ut corpori coniunctus omnium intelligibilium eſt, cum autem dicitur, ſi naturalis conſideraret intellectum ut corpori iunctus eſt, ergò conſideraret omnia intelligibilia, uerum eſt, ut iuncta ſunt materiæ, quia relatiua eodem conſiderandi modo in eodem ſcientia conſiderantur, qua enim ratione conſideratur intellectus, eadem quoque ratione conſiderantur intelligibilia, ſi ergò conſideratur intellectus ut eſt iunctus materiæ, pariter & intelligibilia conſiderabuntur ut ſunt iuncta materiæ, vndè non ſequitur, præter naturalem nullam remanere philoſophiam, quia remanebunt intellectus, & intelligibilia conſideranda ut à materia abſtracta ſunt, & ita remanebunt aliæ ſcientiæ, quæ illa ſub hac ratione conſiderent, quapropter Ariſtotelis ratio non ualet de intellectu ut iungitur corpori, nec ad hoc probandum ab ipſo allata eſt, ſed ualet de intellectu ut intellectus eſt, atque ut abſtrahit à materia, ſicut ſuperius declaratum eſt.

Sed priuſquã rationes in contrarium adductas perſoluamus, nonnulla uerba quæ in hac ratione ponuntur, à nobis conſideranda ſunt, & primo quid per INTELLIGIBILIA accipiat Ariſt. cum inquit, intellectus rerum intelligibilium eſt.

Arbitrantur nonnulli Ariſtotelem per intelligibilia accipere ſubſtantias illas ſeparatas, quod ea ratione oſtendunt, per intelligibile, illud accipit Ariſtoteles qđ eſt contradiſtinctum à ſenſibili, ſed ſenſibile non capitur pro particulari, quoniam ſcientia non uerſatur circa particularia, ergo capitur pro uniuerſali ex ſenſibilibus collecto, intelligibile autem quod ab hoc contra diſtinguitur eſt genus ſubſtantiarum ſeparatarum, igitur nomine intelligibilium genus ſubſtantiarum ſeparatarum intelligitur.

Clarisſimi iſti uiri hac in re ab Ariſtotele apertè diſſentiunt, quod oſtendo, & in primis conſidero illationem Ariſtotelis, uolens enim Ariſtoteles probare quomodo ualeat conſequentia illa, ſi naturalis ageret de intellectu, ergo præter naturalem nulla relinqueretur philoſophia, valet inquit quia intellectus eſt rerum intelligibilium, ergo naturalis conſiderabit omnia intelligibilia, uerba ſunt hæc, intellectus enim ſiue mens rerum intelligibilium eſt, itaque naturalis rerum omnium notiones unà tenebit, &c. iam uero ſicut intelligibile accipitur in conſequente, ità accipitur in antecedente ſed in conſequente accipitur pro intelligibili in uniuerſali quia inquit, ergo rerum omnium notiones unà tenebit, igitur eodem modo accipitur in antecedente, quòd ſi in antecedente ſumatur pro ſubſtantiis ſeparatis cum in conſequente accipiatur pro notionibus omnium rerum, erit æquiuocatio in terminis.

Prætereà utor eodem medio quo utuntur ipſi, per intelligibile accipitur illud quod eſt contradiſtinctum à ſenſibili, uideamus, quid per ſenſibile intelligatur, porrò per ſenſibile non intelligitur particulare, cum ſcientia non uerſetur circa particularia, nec intelligitur uniuerſale, & cōe ad omnia ſenſibilia, quod ipſis uidetur, qđ probatur ex uerbis Ariſt. dicentis, relatiuorum, & omnium inter ſe coniunctorum eadem eſt ſcientia, ſicut ſenſus & ſenſibilis, quibus uerbis apertisſimè oſtendit, per ſenſibile illud intelligere, qđ ſub eandem ſcientiam cadit cum ſenſu, hoc autem non eſt cōe ad omnia ſenſibilia, quoniam ſcientia quæ conſiderat aliquem ſenſum, non conſiderat quodlibet ſenſibile, ſed ſenſibile illius ſenſus ut ſcientia quæ conſiderat uiſum, non conſiderat quodlibet ſenſibile, ut ſonum, & odorem, ſed ſenſibile quod eſt correlatiuum ipſius ut potè colorem, igitur per ſenſibile intelligitur

quod eſt determinati generis ſeſibile, ergo per intelligibile quod contradiſtinguitur à ſenſibili accipitur uniuerſale, & commune & generis indeterminati ad omnia iutelligibilia, hoc autem nõ eſt genus ſubſtantiarum ſeparatarum, igitur nomine intelligibilium genus ſubſtantiarum abſtractarum non accipitur, ſed quid commune ad omnia intelligibilia.

Confirmo per diſcurſum Ariſtotelis, qui huiuſmodi eſt, Relatiua pertinent ad eandem ſcientiam ſicut ſenſus & ſenſibile, intellectus, & intelligibilia ſunt relatiua, ergo pertinent ad eandem ſcientiam, iam uero ille terminus, Relatiua, in maiore propoſitione ſupponit pro relatiuis adequatè, quod patet ex declaratione Ariſtotelis, qui dicit, relatiua pertinent ad eandem ſcientiam ſicut ſenſus, & ſenſibile, certum eſt autem quòd ſcientia quę conſiderat ſenſum, conſiderat ſenſibile quod eſt obiectum adęquatum ipſius ſenſus, igitur in minore propoſitione cum dicitur, intellectus & intelligibilia ſunt relatiua accipitur etiam ꝑ relatiuis adęquatè, & conſequenter pro intelligibili quod adęquatè refertur ad intellectum, hoc autem non ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, ſed quid uniuerſale, & commune ad omnia intelligibilia, quod eſt adæquatum obiectum ipſius intellectus, & profectò res ipſa aliter intelligi non poteſt, quia uult Ariſtoteles quòd ſcientia quæ conſiderat intellectum conſideret etiam intelligibilia, ſicut ſcientia quæ conſiderat ſenſum, conſiderat etiam ſenſibilia, certum eſt autem quòd ſcientia quæ conſiderat ſenſum, conſiderat ſenſibile quod eſt adæquatum obiectum ſenſus, ergo ſcientia quæ conſiderat intellectum, conſiderat intelligibilia qđ eſt adæquatum obiectum intellectus, quod ſanè non eſt illa diuinarum mentium cohors ſed commune ad omnia intelligibilia qđ adæquate refertur ad ipſum intellectum.

Sed grauius (iudicio meo) peccant illi, qui cum hoc quòd per intelligibilia exponunt ſubſtantias abſtractas, per intellectum etiam exponunt quid commune omnibus abſtractis, & ita faciunt quod in hac ꝓpoſitione, intellectus rerum intelligibiliũ eſt, &c. pro eodem ſupponant ſubiectum, & prædicatum, nam ſi intellectus ſupponit pro quodam communi ad omnia abſtracta, & ſimiliter intelligibilia, ergo pro eodem ſupponent ſubiectum, & prædicatum illius propoſitionis, quod dici minimè poteſt, & eo

magis.

magis, quòd ſubiectum, & prædicatum in illa propoſitione important relationem, quæ eſt inter extrema diuerſa, ſicut, & relatio quæ eſt inter ſenſum, & ſenſibile.

Ad fundamentum autem ipſorum dicimus, quòd per intelligibile accipitur illud quod eſt contradiſtinctum à ſenſibili, ſed ſicut per ſenſibile accipitur illud quod eſt determinati generis ſenſibile, ità per intelligibile quod eſt generis indeterminati, & commune ad omnia intelligibilia.

Sed cum ſuperque ſatis hæc particula explicata ſit, nunc a nobis conſiderandum eſt, quid nomine PHILOSOPHIAE intelligat Ariſtoteles, cum inquit, nulla certè præter naturalem relinqueretur PHILOSOPHIA.

Sunt, qui per PHILOSOPHIAM Metaphiſicam exponunt, quę per excellentiam philoſophia nuncupatur, ut ſenſus ſit, ſi naturalis ageret de intellectu, nulla præter naturalem relinqueretur philoſophia ideſt Metaphiſica.

Sed ſummi iſti philoſophi Ariſtotelis uerba contra ſe habent, nam Ariſtoteles inquit, Nulla certè præter naturalem relinqueretur philoſophia unde propoſitio eſt uniuerſalis, quia ponitur illa dictio NVLLA, quæ diſtribuit uniuerſaliter negatiue, igitur pro- 1
poſitio non eſt intelligenda de Metaphiſica ſolum, ſed de omnibus aliis partibus philoſophiæ.

Conſidero poſteà illam dictionem, PRAETER, quæ eſt dictio excluſiua, dicit enim nulla certè præter naturalem relinqueretur philoſophia, igitur poſt naturalem ſcientiam excludit omnes alias partes philoſophiæ, itaque per philoſophiam non intelligit Metaphiſicam ſolum, ſed omnes alias partes philoſophiæ contemplatiuæ, vt Metaph: & Mathem: & ob id uſus eſt Ariſtoteles propoſitione uniuerſali dicens, nulla remaneret philoſophia, ac ſi dixiſſet nulla remaneret ſcientia, quod ſane conſiderans doctiſſimus ille Theodorus rationabiliter tranſtulit ſcientia, qua in re
tantum abeſt ut ab ipſis reprehendi debeat, ut ſummoperè potius laudandus ſit quoniam rem ità traducens, illius termini uerum ſenſum nobis aperuit, & ſe quoque illum attigiſſe apertiſſimè demonſtrauit, quibus ita explicatis, nunc ſupereſt, ut rationes illorum perſoluamus, qui rationem hanc probabilem eſſe affirmarunt. 2

Non officit prima, nam cum dicitur ſequeretur quòd intellectus à nullo conſideraretur, negatur conſequentia, conſideratur enim ſub ea ratione à metaphiſica, ad probationem dico, quòd ratio ab Ariſtotele adducta ualet de naturali, non autem de Metaphiſica, & ratio eſt, quia ſcientia naturalis eſt ſcientia ſpecialis, quæ conſiderat entia in particulari, nempe ut in materia ſunt, iam uero ſi naturalis conſideraret intellectum quiditatiuè, & ut abſtractus eſt à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, conſideraret omnia intelligibilia eodem modo, ut ſuperius declaratum eſt, & ſi conſideraret omnia ut abſtracta ſunt à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, conſideraret quoque entia ut abſtracta ſunt à materia ſecundum rationem tantum, quia ſi de quo minus uidetur, & eſt, ergo & de quo magis, & ſi conſideraret extrema, ut potè entia ut ſunt in materia, & ut ſunt abſtracta à materia ſecundũ eſſe, & ſecundũ rõnem, conſideraret ēt media nimirũ ut abſtracta ſunt ſecundum rõnem tantũ, quare nãlis conſideraret omnia, & ut ſunt in materia, & omnino ex abſtractione à materia, igitur conſideratet omnia ſecundum omnem conſiderandi modum, unde præter naturalem nulla remaneret ſcientia.

Non ualet autem ratio de Metaphiſica, quoniam hæc eſt ſcientia uniuerſalis, quæ conſiderat entia ſub ratione communi, & tranſcendenti ut legitur 4. & 6. Metaph. contex: primo & conſequenter, ut abſtracta ſunt à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem ut 6. met: habetur contex: 2. & n. rõ entis, ſubſtantiæ, actus, & id genus, materiã non concernit, vnde ſi Metaphiſica conſiderat intellectum quiditatiuè, & ut abſtractus eſt, igitur conſiderabit ipſa intelligi bilia codẽ mõ ut ſunt abſtracta, nec ppea ſequitur ꝙ aliæ tollantur ſcientiæ, quia remanent alii modi conſiderandi res ſub ratio ne ꝓpria, & ut in materia ſunt, & eſt naturalis, & ex ablatione à materia, & eſt Mathem: itaq; rationon concludit de Metaphiſica, ſed de naturali.

Sed ſolutio iſta patitur inſtantiam, quia ſi Metaph: conſiderabit intellectum quiditatiuè, ſaltem rueret Mathem: deducitur, quia ſi conſideraret intellectum quiditatiuè, & ut abſtractus eſt à materia ſecundum eſſe, & rationem, igitur conſideraret omnia intelligibilia eodem modo, ergò conſideraret etiam res ut ſunt abſtractæ ſecundum rationem tantum, hæc enim erat ratio ad proban-

dum præter naturalem non remanere Mathematicam.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia ut dixi, Metaphiſica eſt ſcientia uniuerſalis, quę ſub ratione communi, & tranſcendenti res ipſas contemplatur, & ideò licet conſideret entia ut ſunt abſtracta à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem; non tamen conſiderat res ut ſunt abſtractæ ſecundum rationem tantum ut entia Mathematica, quia hęc eſt conſideratio propria, & particulari, quæ non eſt Metaphiſici, ualet autem de naturali, quia naturalis eſt ſcientia ſpecialis, quæ conſiderat entia ſub ratione propria, & particulari, & ideò ſi conſideraret entia ut abſtracta ſunt ſecundum eſſe, & rationem, conſideraret etiam abſtracta ſecundum rationem tantum, ut entia mathematica, & propterea Mathematica ſcientia collaberetur, diuerſa itaque eſt utriuſque ratio uenio nunc ad ſecundam ipſorum inſtantiam.

Cum dicunt ſecundo loco, ꝙ etiam ſi ratio ab Ariſt. ut demonſtratiua adducta eſſet, non tamen concludit, quoniam cum dicitur, ſi nālis conſideraret intellectum, ergo & omnia intelligibilia, ſolum concludit, ꝙ conſideraret illa ut intelligibilia, & ut referuntur ad intellectum, non tamen ſimpliciter, & omnibus modis, & proptérea non ſequi, præter naturalem nullam remanere ſcientiam.

Non intelligunt ipſi ſummam uim Ariſtotelicæ rationis, quia ratio non ſolum concludit, quòd naturalis conſideraret intelligibilia, ut dicunt ipſi, ſed ſimpliciter, & omnibus modis, quia ſi naturalis conſideraret intellectum quiditatiue, & ut abſtractus eſt à materia, tunc conſideraret intelligibilia non ſolum ut referuntur ad intellectum, ſed etiam quiditatiuè, & ut abſtracta ſunt à materia nam ſicut naturalis non ſolum conſideraret intellectum ea ratione qua refertur ad intelligibilia, ſed quiditatiue, & ut abſtractus eſt a materia, eodem mō conſideraret ipſa intelligibilia, & non ſolum ut referuntur ad intellectum, & cum ipſe naturalis omnia conſideret ut in materia, igitur conſideraret omnia ſecundū omnem modū conſiderandi, igitur non remaneret alius modus quo ſcibilia conſiderari poſſent, itaque nulla alia præter naturalem relinqueretur ſcientia, & in hoc conſiſtit ratio Ariſt.

Quod, ſi animaduertiſſent ſectatores Alexandri non ità facile affirmaſſent, Ariſtotelis rationem non inniti hoc principio, Relatiua ad eandem pertinent ſcientiam & cum etiam cæco id apertiſſimū

ſit, ſi quidem Ariſtoteles probare uolens quomodo ſequatur hoc intellectus eſt rerum intelligibilium, ergo naturalis conſiderans intellectum, conſiderabit etiam omnia intelligibilia, ſequitur, inquit, ex hoc quia relatiua ad eandem pertinent ſcientiam, & ꝙ ex hoc illud probet, oſtendit illa dictio enim, uel quia, quæ eſt dictio cauſalis, & ex hoc principio colligit Ariſtoteles propoſitũ ſuum, in hunc modum.

Relatiua ad eandem pertinent ſcientiam, intelligas ſecundum eundem conſiderandi modum, intellectus, & intelligibilia ſunt relatiua, ergò ad eandem pertinent ſcientiam, ſecundum eundem conſiderandi modum, ergo ſi naturalis conſideraret intellectum, ut abſtractus eſt à materia, igitur conſideraret omnia intelligibilia eodem modo, & cum naturalis conſideret omnia ut in materia, igitur naturalis conſideraret omnia ſecundum omnem modum conſiderandi, ergo præter naturalem nulla relinqueretur ſcientia, quod erat probandum, quæ profectò ſi animaduertiſſent, nõ dixiſſent naturalem conſideraturũ intelligibilia ut ſolum referuntur ad intellectum, nec dicere coacti fuiſſent Ariſtotelis rationem eo non inniti principio, quam inſtantiam, quam tanti putarunt eſſe momenti, ità perſoluendam exiſtimo, & hæc de prima ratione.

Secunda ratio, qua Ariſtoteles ad eandem utitur concluſionem huiuſmodi eſt, Naturalis conſiderat naturam, intellectus non eſt natura, ergo intellectus non conſideratur à naturali, & per conſequens non omnis Anima.

Quam ſecundam rationem parum accuratè conſiderantes Mirandulanus libro 19. ſuæ Monomachiæ, & Buccaf. ſub initium primi libri de Anima, dixerunt non ſolum probabilem eſſe, quin immò falſis propoſitionibus inniti, ſi quidẽ propoſitio il la ab Ariſtotele accepta, intellectus non eſt principium motus, falſa eſt, cũ tertio libro de Anima contex. 48. ſtatuerit intellectum eſſe principium motus.

Similiter illa propoſitio, intellectus non eſt Natura, falſa eſt, nam cum intellectus de eiuſdem ſententia ſit principium motus, igitur erit Natura, & enim Natura eſt principium motus in eo in quo eſt, pariter ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt Naturæ, cum ſint principia motus, igitur & intellectus noſter, quare ratio iſta non

ſolum probabilis eſt, quin immò prnpoſitionibus falſis innititur,

Hæc profectò ſumma hominum dementia eſt, nã ut ſuperius dixi quotieſcunque Ariſtoteles ex intentione, & in proprio loco aliquam dubitationem mouet, illam ſecundum ueritatem perſoluit, & ad concluſionem illam probandam ſophiſticis rationibus non utitur, nec propoſitionibus falſis, atqui primo de part. ex intentione, & in proprio loco illam dubitationem mouet, ergò illam ſecundum ueritatem determinat, & ad concluſioné probandam non utitur ſophiſticis rationibus, & propoſitionibus falſis, ut dicunt ipſi, ſunt & illæ rationes ſuperius adductæ, ad quas lectorem reiicio, ne ſæpius eadem repetantur.

Nec eorum rationes aliquod habent momentum, & ad primam dico, quòd cum philoſophus inquit 3. libro de Anima 48. intellectum eſſe principium motus, per intellectum non accipit intellectum propriè, ſed per intellectum accipit phantaſiam, quæ etiã eodem tertio de Anima contex. 20. ab ipſo intellectus paſſiuus nuncupatur, & quod hoc uerum ſit, oſtendunt uerba illius con tex. 48. quæ ita ſe habent, uidetur hæc duo mouentia, aut appetitus, aut intellectus, ſi quis phantaſiam uocauerit intellectum, quibus uerbis apertè oſtenditur per intellectum accipere phantaſiã quam ſtatuit eſſe principium commune motus, quia in aliis animalibus in quibus reperitur motus, non reperitur intellectus, ſed phantaſia, intellectus uerò nec commune principium motus eſt, nec proximum in homine in quo reperitur, & hoc modo intelligit Ariſt. primo de part. cum inquit intellectus non eſt principium motus, ſed quid aliud, quia in aliis animalibus reperitur motus, in quibus non eſt intellectus, quare tantum abeſt, ut in dictis Ariſtotelis repugnantia ſit, ut eadem potius utrobique dicantur, nam primo de partibus, inquit, intellectus non eſt principium motus, ſed quid aliud, quod ſanè 3. de Anima 48. phantaſiam eſſe affirmauit, & rationem aſſignans inquit, quia in aliis animalibus reperitur motus in quibus non reperitur intellectus, ſed phantaſia, quam eandem rationem aſſignat primo de part: dicens, ideo intellectus non eſt principium motus, quia in aliis animalibus motum eſſe conſpicimus, in quibus non eſt intellectus, hinc ergò cognoſcite an hæc ſit contradictio, aut potius

dictorum ſuorum confirmatio.

Ex quibus uerbis nemo eſt qui non intelligat Ariſtotelem per principium motus non intelligere principium proximum motus, ut nonnulli & uiri quidem doctisſimi arbitrantur, ſed intelligere principium commune & adæquatum ipſius motus, ut ſenſus ſit intellectus non eſt principium cōe & adæquatum motus, quod oſtendo per rationem quam ipſe Ariſt. aſſignat, intellectus enim inquit, non eſt principium motus, quia non eſt principiũ motus in aliis animalibus, cuius uerba lubenter ſubiiciam, ut rem hanc intelligant omnes, uerba ſunt hæc intellectus non eſt principium motus, ſed quid aliud, quia motum uel in cæteris eſſe animalibus nouimus, intellectum uerò in nullis, quare cum philoſophus probet intellectum non eſſe principiũ motus, quia non eſt principiũ motus in aliis aĩalibus in quibus reperitur motus, ergo ꝑ principium motus intelligit principium cõmune ipſius motus, quod ſanè dicit eſſe quid aliud, nimirum phantaſiam, ut ipſemet declarauit tertio libro de Anima 48. quam probationem ſi animaduertiſſent clariſſimi illi uiri per principium non expoſuiſſent principium proximum motus, licet uerum ſit quòd intellectus non eſt principium proximum motus in homine in quo reperitur, ſed ad hoc non tendit Ariſt. probatio.

Nec officit ſecunda, nam cum dicitur intellectus eſt principium motus, ergo Natura, dico, quòd intellectus non eſt principium commune, & adæquatum motus, neq; proximum in homine in quo reperitur, & proindè non ſequitur quòd ſit Natura.

Prætereà eſto quòd eſſet principium proximum motus in homine, in quo eſt, non tamen ſequitur quòd ſit Natura, ſi quidem non quodlibet principiũ motus eſt Natura, ſed qđ dependenter, & inſeparabiliter eſt in materia, ut ipſemet Ariſt. declarauit ſecundo phiſ. contex. 12. ubi declarans de qua forma dicatur Natura, ità ſcriptum reliquit, quare alio modo Natura dicitur forma, & ſpecies inſeparabilis à materia exiſtens, principium igitur motus qđ à materia inſeparabile eſt, dicitur Natura, & hoc modo Naturæ definitio intelligenda eſt, quid enim melius eſt, quam Ariſtotelẽ per Ariſt. interpretari.

Similiter intelligentiæ quamuis ſint principia proxima motus non propterea ſunt Naturę, quia ſeparatæ ſunt, & à materia indepen

dentes,unde peccat ratio per fallaciam cõſequentis,cum dicitur, eſt principium per ſe motus, ergo natura,ſed ualet, eſt principiũ per ſe motus à materia dependens, ergo natura, ideò Ariſtoteles ſibi ipſi maxime cõſtans, cũ ſe dixiſſe recordaretur ſecundo phiſ: quòd natura dicitur de forma quæ terminus eſt generationis, & à materia inſeparabilis, primo de part. dixit, non omnis Anima eſt natura,ſed aliqua ut potè à materia dependens, intellectus uerò & queuis forma abſtracta à materia non eſt natura, uideant ergo iſti illuſtres philoſophi cum Ariſt. primo de part. negat intellectum eſſe naturam, an à ſe ipſo diſſentiat, aut potius, ſibi ipſi maxime conſtet.

Illud bene uerum eſt, quòd ut inquit Auer. 2. cæ: com: 3. formæ abſtractæ dicuntur naturæ ſecundum quandam analogiam, quia ſicuti formæ materiales quę uerè ſunt naturæ ſunt principia motus in iis in quibus ſunt, ita formæ abſtractæ in proprio ſubiecto ſuam operationẽ producunt, & quatenus ita operantur, aſſimilantur naturæ, attamen re uera nec naturæ, neq; animæ ſunt, ſed ſupra animam, & ſupra naturam, ut teſtatur Auer. duodecima in Algaz. diſput: ſol: primi dubii, & Alex. primo de anima cap. 9. ubi ait enim uero formæ abſtractæ ſecundum quandam analogiam animæ dicende ſunt.

Nunc aũt illud à nobis cõſiderandum eſt, quid nomine INTELLECTVS accipiat Ariſt. quidã Alex. ſectatores uoluerunt Ariſt. nomine INTELLECTVS non intelligere intellectum humanum, ſed diuinas illas mentes, ac ſubſtantias ſeparatas, quas à naturali conſideratione ſeiungit, eaſq; negat eſſe naturas.

Sed iſti grauiter hallucinati ſunt, quia de eo intellectu eſt ſolutio, de quo eſt dubitatio, non enim dubitatio poteſt eſſe de uno, & ſolutio de alio, ſed dubitatio mota, fuit de anima animaliũ tantũ, & de intellectu humano, vt ſuperius probatũ fuit, ergo & ſolutio eſt de intellectu humano, & non de ſubſtantiis ſeparatis.

Præterea conſidero dictum illud Ariſt. in eo loco, quod eſt, intellectus non eſt principiũ motus, quia non eſt principiũ motus in aliis aĩalibus, tunc ego quæro, aut ſub hoc termino intellectus cõtinetur ĩtellectus humanus, aut nõ, ſi primo, igitur nomine intellectus non ſolum accipiuntur intelligentiæ, ſed etiam intellectus humanus, ſi ſecundo, id eſt falſum, quia ſicuti ſubſtantiæ

illæ ſeparatæ non ſunt principia motus localis in omnibus animalibus, pariter nec intellectus humanus, quamobrem iſtorum expoſitio penitus reiicienda eſt.

Sed cauſa erroris fuit, quia uidebant ex hoc loco aduerſus ipſorum ſententiam apertisſimè colligi humani intellectus æternitatem, cum Ariſtoteles eum neget eſſe Naturam, velitque liberam eſſe formam, atque à materia ſeparatam, ſed uideant obſecro, quod per ſecundam rationem iam contra ipſos aductam, coguntur in eum ſcopulum nauim impingere, quem euitare conati ſunt, idcircò poſteriores dixerunt nomine intellectus Ariſtotelem non accipere ſubſtantias ſeparatas tantum, nec intellectum humanũ tantum, ſed aggregatum ex intellectu humano, & ſubſtantiis ſeparatis.

Sed licet ii ad Ariſtotelem magis accedere uideantur, tamen & horum ſententia ab Ariſtotele aliena eſt, quia cum dubitatio ab Ariſtotele mota, fuerit de anima animalium tantum, & de intellectu humano, igitur & ſolutio ſolum eſt de intellectu humano, quòd autem dubitatio fuerit ſolum de intellectu humano, lectorem reiicio ad ea quæ ſuperius à nobis declarata fuere, itaque concludo quòd uoce intellectus Ariſtoteles intelligit intellectum humanum, quem à naturali conſideratione ſeiungit, ſub ea ſcilicet ratione qua dixi.

Bene uerum eſt quòd corrolarie rationes iſtæ probant etiam de ſubſtantiis ſeparatis, ſed ad hoc principaliter non tendunt rationes iſtæ, ſed ad intellectum humanum de quo ex intentione ab Ariſt. mota dubitatio fuit.

Ex qua ſecunda ratione uelim uos colligere aduerſus Simplicium, & eius ſectatores, quòd Natura ſub ſe etiam Animam comprehendit, ſi quidem philoſophus inquit, conſtat igitur non diſſerere de omni Anima oportere, quando quidem non omnis Anima eſt Natura, ſed aliqua una, aut plures, quare uult quandam Animam non eſſe Naturam ut intellectum, vult autem quaſdam ſub Naturæ ambitu contineri, ut uegetalem, & ſentientem, atque ob id à naturali philoſopho conſiderari.

Ad hoc fortaſſe dicent qui eum inſequntur, Ariſtotelem eo in loco eſſe in parte argumentatiua, atque ità rem non determinare pro ueritate, ſed uideant obſecro Ariſtotelem eandem confirmare

re

re ſententiam ſecundo phiſ: contex: primo ubi uenaturus natu- ræ definitionem ex differentia inter artefacta, & naturalia, inquit artefacta non hebent in ſeipſis principium motus, naturalia uerò in ſeipſis habent principium motus, & ſtatus, illa quidem ſecundum locum, hæc uerò ſecundum augumentum, & decrementum, quædam uerò ſecundum alterationem, hinc colligit naturæ definitionem dicens, igitur Natura eſt principium motus localis, & augumenti &c. ſed principiũ motus augumenti eſt anima, igitur natura ibi definita ſub ſe continent animam, quod etiam confirmat in contex: 13. eiuſdem libri, declarans autem in contex: 12. de qua forma, & de qua anima dicatur natura, de ea forma inquit, & de ea anima quę à materia inſeparabilis eſt, ita que anima natura eſt, non quidem omnis, ſed aliqua nempè à materia dependens, & cum eadem præciſe ſententia ponatur primo de part: cap: primo, ergo ſi ſecundo phiſ: illud ſecundum ueritatem determinauit, id ipſum fecisse primo de part: dicendum ẽ, & hæc de ſecunda ratione.

Poſtremo Ariſtoteles ad eandem concluſionem hac utitur ratione dicens, ad hæc rem nullam A, materia abſtractam conſiderat naturalis, cum natura, rei alicuius gratia omnia faciat, rebus autem abſtractis abiunctum eſt id, quod ſub hoc uerbo cuius gratia intelligimus, quæ ratio dup: exponi poteſt, & primo ſic.

Nulla forma abſtracta à materia à naturali conſiderari poteſt, intellectus eſt huiuſmodi, ergo intellectus à naturali conſiderari minime poteſt, & per conſequens non omnis anima.

maior illa ꝓpoſitio ab Ariſt. ita probatur, Nãlis, ea formã conſiderat, quæ agit propter finem, quia conſiderat naturam quæ quidem propter finem omnia facit, forma abſtracta à materia non agit propter finem, igitur forma abſtracta non conſideratur à naturali.

Sed ſi hoc modo intelligatur ratio, propoſitiones ita exponi debent naturalis conſiderat formam quæ agit propter finem qui per motum acquiritur, quia naturalis quiditatiuè conſiderat naturam, quæ agit propter finem, qui per actionem, & motum acquiritur forma abſtracta non agit propter hunc finem, qui per motum acquiritur, ita minor iſta intelligenda eſt, quia cenſendum non eſt Ariſtotelem à forma abſtracta ademiſſe finem ſimpliciter, cum xii

primæ philoſophiæ Deum opt: ſubſtantiarum ſeparatarum ſupremum finem eſſe, propter quem agunt, determinauerit, ſed à formis abſtractis illum finem negauit qui eſt terminus motus.

Poteſt & alio modo ratio iſta intelligi, ut ſit per locum a maiori negatiue, in hunc modum, ſcientia naturalis nullam rem abſtractã a materia ſecundum definitionem contemplatur, ut ſunt entia mathematica, ergo multo minus formam abſtractam a materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem conſiderare poteſt, cum autem intellectus ſit huiuſmodi, ERGO intellectus à naturali conſiderari non poteſt.

Probatur illud aſſumptum, quia naturalis conſiderat ea in quibus reperitur finis, ſi quidem naturalis conſiderat naturam quę agit propter finem, rebus autem abſtractis, ut mathematicis, non ineſt finis, ergo huiuſmodi abſtracta non conſiderantur a naturali, quòd autem talium abſtractorum nõ ſit finis, declarauit Ariſt. 3. met. 3. ubi ait, finis autem, & id cuius gratia cætera fiunt, actionis cuiuſdam finis eſt, actiones uerò omnes cum motu quare fieri non poteſt ut in immobilibus hoc principium ſit, aut ullum per ſe bonum, qua propter in mathematicis nihil per hanc oſtenditur cauſam, quod etiam eodem primo de part: declarare uidetur, ubi hæc habet, rem autem hanc eſſe illius gratia aſſerere ubique ſolemus, quotieſcunque finem intelligimus, in quem terminatur motus, quibus uerbis oſtendit, ſe à rebus abſtractis, ut mathematicis illum finem ademiſſe, qui finis eſt actionis, & qui per motum acquiritur qualis in rebus naturalibus adinuenitur, cum ergo naturalis ea quiditatiue conſideret in quibus reperitur finis, qui per motum acquiritur, in rebus autem ex abſtractione à materia non repęriatur hic finis, ergo quæ in abſtractione conſiſtunt, ut mathematica non conſiderantur à naturali, ergo multo minus intellectus qui a concretione materiæ, & ſecundum eſſe, et ſecundum rationem ſeiunctus eſt.

Et hæc ſecunda expoſitio, quæ ſubtilior eſt, mihi magis probatur, tum quia uerbis Ariſt. conuenientior eſt, quæ Græce, ita legũtur *ἔτι δὲ τῶν ἐξ ἀφαιρέσεως, οὐδενὸς οἷόν τ' εἶναι τὴν φυσικὴν θεωρητικὴν* quæ Latine ſignificant, Amplius autem, nullum eorum quæ ex abſtractione ſunt, naturalis ſcientia contemplari poteſt: Illa autem dictio ex abſtractione, mathematicis attribuitur &c.

vt apud eundem Ariſtotelem legitur primo de Anima 17. ubi habet ipſarum autem non ſeparabilium quidem, inquantum au é non talis corporis paſſiones, ſed ex abſtratione, Mathematicus, qd etiam habetur 3 de anima 11. & 35. ubi inquit, quæ uerò ex abſtractione dicuntur per hæc mathematica intelligens.

Tum quia Ariſt. ſexto met. 2. eadem præcisè ratione uti uidetur, inquit enim naturalis non conſiderat id quod ſe habet ut concauũ hoc autem abſtractum eſt, certum eſt autem quòd concauum abſtractum eſt à materia ſecundum rationem tantum, & ex hoc infert quòd naturalis non debet omnem animam contemplari, vt intellectum, quaſi utatur loco à maiori negatiue, ſi naturalis non poteſt conſiderare id quod ſe habet ut concauum, & abſtractum a materia ſecundum rationem tantum, ergo multo minus poterit conſiderare intellectum, qui & ſecundum eſſe, & ſecundum rationem a materia ſolutus eſt, iis itaq; de cauſis, ſecundam expoſitionem quæ non ita communis eſt, ueriorem cenſeo, & magis ad Ariſt. quam ſi cognouiſſet Mirand: non dubitaſſet de neceſſitate huius rationis.

Et hæc eſt circa has Ariſt. rationes mea ſententia, iuuenes, atq; iudicium, quibus illud ab Ariſt. concluditur, quòd intellectus qui ditatiue non conſideratur à naturali, tametſi ut iunctus corpori, ſuç ſubiiciatur conſiderationi, qua ratione tertio libro de anima ab Ariſt. conſideratur.

Laus Deo.

Frater Maximianus Beniamus Cremenſis Inq Paduæ permittit imprimi.